

quandoque pro simili electione, et approbatione schismata oriebantur, Alexander III. in Generali Lateranensi Concilio statuit, ut ille demum canonicè electus censeretur, in quem duæ ex tribus Collegii Cardinalium partes consensissent, et sic excluso Cleri, et Populi consensu, requisito ex supra laudato Decreto Nicolai II. in d. cap. in nomine Domini, tota Pontificis electio ad solum Cardinalium Collegium redacta est per ipsum Alexandrum III. ut expresse patet in cap. Licet 6. de electione, ibi: « Licet de vitanda discordia in electione Romani Pontificis manifesta satis a Prædecessoribus nostris Constituta manaverint, quia tamen sæpe post illa per improbæ ambitionis audaciam, gravem passa est Ecclesia scissuram, Nos etiam ad malum evitandum hoc de consilio Fratrum nostrorum, et sacri approbatione Concilii aliquid decrevimus adjungendum. Statuimus ergo, ut, si forte (inimico homine supereminante zizaniam) inter Cardinales de substituendo Summo Pontifice, non poterit esse plena concordia, et duabus partibus concordantibus, pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium præsumperit nominare, ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus electus fuerit, et receptus. » (8. Unde, ut dicit Onuphrius in annotatione ad vitam d. Alexandr. III. in electione Lucii III. sui immediati successoris, ea tunc primum redacta fuit ad solos Cardinales, Clero omnino, et Populo a Summi Pontificis electione exclusis, et Lex salutaris a dicto Alexandro III. in Concilio Generali Lateranensi anno 1179. celebrato lata de duobus tertiis Suffragiorum Cardinalium ad evitanda in posterum schismata executioni mandata fuit, quod dicit sibi constare ex ejusdem Pontificis Diplomate apud se asservato. (9. Et hæc facultas eligendi Summum Pontificem solis Cardinalibus demandata, fuit confirmata, et plenius statuta a Gregorio X. in Concilio Generali Lugdunensi 1274. celebrato, prout refertur in cap. Ubi periculum 3. de electione. in 6. et a Clemente V. in Concilio Viennensi 1311. coacto, prout refertur in c. Ne Romani 2. Clem. de elect. et ex post fuit semper inviolabiliter in ipsis conservata. Vide Barbos. lib. 1. Juris Ecclesiast. univers. c. 1. num. 55. et seq. cum multis ibi citatis (1).

(10. Cardinales soli possunt deferre Pileum, seu Galerum rubrum eis concessum ann. 1244. ab Innoc. IV. in Conc. Lugdunensi I. ut refert Barbosa cum multis aliis lib. 1. Juris Eccles. cap. 3. num. 8. Petra tom. 4. Comment. in Constit. 1. Eugenii IV. num. 21. et habetur ex inscriptione sua sepulchrali Neapoli, ubi obiit: « Innocent. IV. Pontifex Maximus de omni Christiana Republica optime meritis, qui natali S. Joan-

(1) Munus hoc eligendi Summi Pontificis solis electum Cardinalibus illustrant Cantelius part. II. diss. 4. cap. 6; et Kleinerus diss. de Munis, et prærogativis Cardinalium, Heidelbergæ, 1768, c. 1. (Edit. BARBIELL.)

nis Baptistæ anno 1243. Pontifex renunciatus, die Apostolorum Principi sacra coronatus, cum Purpureo primus Pileo Cardinales exornasset, Neapolim a Corrado eversam S. P. restituendam curasset, innumerisque aliis præclare, et prope divine gestis, Pontificatum suum quam maxime illustrem reddidisset, anno 1254. B. Lucie Virginis luce hæc luce cessit. Annibal de Capua Archiepiscopus Neapolitanus in Sanctissimi viri memoriam obsoletum vetustate Epigramma restituit. » (11. Soli ipsi possunt deferre Birretum Purpureum sive Pileolum Rubrum, ut eis publice Decreto concessit Paulus II. posita pœna, ne quis indumento illo purpureo caput legeret, concedens insuper eisdem Cardinalibus, ut ejusdem coloris panno equos, vel mulas sternerent dum equitarent. Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiast. lib. 1. cap. 3. n. 9. Azorius instit. moral. part. 2. lib. 4. c. 3. qu. 18. Palatina in ejus vita, Petra c. 4. comment. in Const. Eugen. IV. n. 21 (2).

(12. Quod privilegium ferendi Birreta, et Pileos rubros more aliorum Cardinalium fuit postea etiam extensum ad Cardinales ex Regularium Ordinibus assumptos a Gregorio XIII. Constit. 9. incip. Sanctissimus. (13. Soli ipsi Cardinales habent privilegium, ut Titulus Eminentiss. et Vestræ Eminentie una cum antiquo titulo Reverendiss. debeat esse suus proprius, et peculiaris Cardinalitæ Dignitatis, prout infrascripto Decreto expresse continetur.

Die 10. Junii 1630. in Consistorio secreto. Fuit facta per Cardinalem Pium relatio Decreti Sacræ Congregationis Cæremoniarum S. R. E. Cardinalium, ut infra.

BEATISSIME PATER,

Sacra Congregatio Cæremoniarum S. R. E. Cardinalium censuit, si Sanctitati Vestræ placuerit, loco Titulorum Illustrissimi, et Dominationis Vestræ Illustrissimæ, quibus hactenus usi sunt Cardinales, Titulos Eminentissimi, et Vestræ Eminentie una cum antiquo Titulo Reverendissimi in posterum esse debere proprios, et peculiare Cardinalitæ Dignitatis; ita ut præfati Tituli Eminentissimi, et Eminentie a nemine, præterquam ab Eccles. Rom. Imper. Electoribus, ac Magistro Hospitalis Hierosolym. usurpari possint, aut aliis attribui; eosdemque Titulos ab omnibus, et singulis Cardinalibus, presentibus et futuris omnino assumi, illisque inter se tam voce, quam scripto perpetuo uti debere. Quod si contigerit, aliquem eujuscumque Dignitatis, Gradus, et Conditionis (Imperatore, ac Regibus exceptis) hujusmodi Titulos alicui Cardinalium non tribuere, Cardinalis ille nullatenus cum eo agat, nec ejus Litteras quoquomodo recipiat.

Insuper censuit supplicandum esse Sanctitati Vestræ, ut per suum Consistoriale Decre-

(2) Confer de Cardinalium veste aliisque insignibus laudatos Cantelium diss. 5, cap. 8; et Kleinerum cap. 5. (Edit. BARBIELL.)

tum præcipere dignetur cæteris omnibus, et singulis Ecclesiasticis eujuscumque Conditionis, Gradus, et Dignitatis, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Primatiali, seu Patriarchali Dignitate præfulgentibus, ne præfatos Eminentissimi, et Eminentie Titulos quoquomodo sibi usurpent, sub pœnis indignationis Sanctitatis Vestræ, et Romanorum pro tempore Pontificum, inhabilitatisque ad alias Dignitates, et incapacitatis quaruncumque Gratiarum, seu Indulgentiarum Sedis Apostolicæ, ac Beneficiorum quoruncumque ipso facto incurrendis.

Item censuit hæc omnia in præsentis Consistorio esse referenda, ut Sanctitate Vestra annuente ab omnibus, et singulis Cardinalibus recipiantur, et super eorum perpetua, et inviolabili observatione juretur, debitæque executioni demandentur a presentibus quidem in Consistorio statim, ab existentibus vero in Curia post tres dies, et absentibus post duos menses in Italia, et post quatuor extra Italiam. Inter alia super his etiam omnes, et singuli Cardinales, qui in futurum creabuntur, jurare teneantur presentes quidem in receptione Pilei, absentes vero in receptione Birreti.

Qua relatione habita S. D. N. per hæc verba, quid vobis videtur? omnium D. D. Card. exquisivit suffragia, et singulorum auditis sententiis non solum unanimiter consentientibus, verum etiam instantissime deprecantibus, atque S. Sanctitati supplicantibus, ut hujusmodi Decretum, et omnia in eo contenta approbaret; sicque probata per suum Consistoriale Decretum, cum auctoritate exprimerentur, etc. Et Litteras etiam in forma Brevis expediendi cum solitis clausulis etc. confirmaret. Sanctitas sua, ut sequitur, decrevit.

Petitionibus vestris annuentes proposita Nobis per vos omnia admittimus, et approbamus, et desuper Litteras etiam in forma Brevis cum clausulis opportunitis, et necessariis concedimus, et expediri mandamus cum auctoritate imprimendi. In omnibus etc.

Absolute Consistorio post discessum Pontificis in Congregatione Generali omnes, et singuli Cardinales, qui in Consistorio interfuerunt, tactis Sacrosanctis Evangeliiis jurarunt, et subscriperunt, ut infra.

Nos miseratione Divina Episcopi, Presbyteri, et Diaconi S. R. E. Cardinales supra dictum Decretum Sacræ Congregationis Cæremoniarum S. R. E. Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro approbatum, et a nobis receptum perpetuo, et inviolabiliter observare promittimus, et juramus.

Dominicus Episcopus Portuensis Cardin. Ginnasius.

C. Card. Pius Episcopus Albanen.
S. Card. Burghesius Episcopus Sabinen.
Ego M. Episc. Tusulanus Card. Lantes.
Ego G. Card. Borgia Presb.
Ego Rob. Card. Ubaldinus.
Ego I. Card. Sabellus.
Ego G. Card. Bentivolus.
Ego G. Card. de Torres.

Ego F. A. Card. S. Honuphrii.
Ego Aloysius Card. Cajetanus.
Ego Ludovisius Presbyter Card. Sancti Sixti nuncupatus.

Ego Berlingerus Presbyter Card. Gypsius.
Ego F. Presbyter Card. Verospius.
Ego Gregorius Presbyter Card. Narus.
Ego Lucas Ant. Presbyter Card. Virilis.
Ego Franciscus Diaconus Card. Barberinus.
Ego P. Maria Burghesius Diaconus Card. Sancti Georgii.

Ego Hieronymus Diaconus Card. Vidonus.
Ego L. Diaconus Card. Biscia.
Ego M. Card. Ginettus.
Ego A. Diaconus Card. Cæsarinus.
Ego H. Diaconus Card. Columna.
Ego Theodorus Card. Trivultius.

(14. Immo Cardinales sunt tantæ Dignitatis, et præeminentiæ, ut eorum Dignitas non parum Regiam Majestatem æmulare contendat. (15. Nec desunt Reges, qui Cardinalibus præeminentiam in sedendo, et scribendo cesserint; scribit enim Raynaldus ad annum 1235. num. 2. et 6. quod cum convenissent Perusiæ Rex Siciliæ Carolus, et Regis Ungariæ Filius Carolus Martellus dictus, una cum Papa, et Cardinalibus, sedit in Consistorio Rex Pater inter Presbyteros Cardinales, Filius inter Diaconos, deinde post ministratum cibum Pontifici, accubuerunt mensæ cum Cardinalibus. Eodem anno 1235. fertur, Regem Angliæ ad Cardinalem Presbyterum scribentem nomen suum illi Cardinalis postposuisse; Rex Dania cum anno 1474. Romam perrexisset, inter duos priores Cardinales exceptus fuit, nec unquam operire caput voluit, nisi post eos, et in die Parasceve ultimus post Cardinales adoraturus Crucem adivit. Cardin. Papien. Epistol. 156. inquit: ut habeatur justus honor Summo Senatui. Et multa alia reticentur consimilia exempla apud Scriptores videnda.

(16. Solum addendo quod præcipue ista præeminentia debetur Cardinalibus Collegium representantibus, nam ex Cæremoniali rubr. de receptione Regis, et de ingressu Imperatoris in Capella, et Consistorio assignatur locus Regi post primum Cardinalem Episcopum, vel antiquiorem Cardinalem Presbyterum. (17. Unde Cardinalium Collegium est honorabilis membrum, quod habet Ecclesia Dei, et dicitur Gremium Romanæ Ecclesiæ; cap. in Nomine Domini 1. circa medium dist. 23. et merito de eo dici potest illud, quod de Romanæ tunc supræmæ Reipublicæ Senatu interrogante Pyrrho Epirotarum Rege Cyneam suum legatum respondisse asserunt: « Urbem Romanam Templum sibi visum, Senatuum Regiam, Senatores quot, tot Reges. » Hinc Pius II. in comment. lib. 3. pag. 66. ait: « Cardinales pares Regibus haberi; » et dum eos creabat, dicebat: « Vos Senatores Urbis, et Regum similes estis; » et sic hoc dixisse Paulum II. refert Card. Papiens. Epistol. 180 et 181. (18. Et Regibus æquiparari, et in eis residere totam Majestatem Christianæ Reipublicæ, tenet Cardin. Tusch. tom. 1. in lit. C. conclus. 100. n. 4. Decian. consil. 8. num. 63. vol. 1. Jacobat. de Conc. lib. 1.

art. 1. num. 1. Duaren. de Sac. Eccles. Ministr. lib. 1. cap. 13. Barbosa lib. 1. Juris Eccles. universal. cap. 4. num. 9. cum multis aliis ibi citatis.

(19. Hic juvat adducere novissimas Apostolicas Sanctiones circa assecutionem Decanatus Sacri Collegii Cardinalium, et in primis affertur Decretum a particulari Congreg. editum die 28. Februarii 1721. et a Sanctissimo Domino nostro Clemente XI. approbatum, et servari mandatum.

DECRETUM.

In casu vacationis Decanatus Sacri Collegii Cardinalium die 28. Februarii 1721 habita fuit Congregatio particularis in Mansionibus R. P. D. Auditoris Sanctissimi, cui interfuerunt RR. PP. DD. Petra Secretarius Sacrae congregationis Episcoporum, et Regularem, Marefusus Auditor Sanctissimi, Lancetta, Cerrus, Herrera. Sac. Rotae Auditores, Ansidaeus Assessor S. Officii, et Lambertinus Sac. Congr. Conc. et hujus particularis Congregat. Secret.

Omnesque unanimiter responderunt, Consulendum esse Sanctissimo, quod declarare dignetur Decanatum Sac. Colleg. Cardinalium devenisse vigore Bullae V. San. Mem. Pauli IV. ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Tanarium uti Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia presentem tempore vacationis dicti Decanatus sequuta per obitum Cardinalis Fulvii Astalli, exclusis Episcopis Cardinalibus antiquioribus extra Curiam tempore dictae vacationis commorantibus, non ex publica causa, et destinatione Romani Pontificis, etiamsi residerent in diocesis, quarum administrationem ex dispensatione Apostolica retinent, et ita servandum esse perpetuis futuris vacationibus.

Quoad aliam vero controversiam inter EE. DD. Cardinalem Tanarium antiquiorem in Episcopatu, et juniorem in Cardinalatu, et Cardinalem Judicem juniorem in Episcopatu, sed antiquiorem in Cardinalatu, causa non fuit proposita, attenta cessione suo Juri facta ab eodem Cardinali Judice; Domini-que unanimiter dixerunt consulendum esse Sanctissimo, quod declarare dignetur ex hujusmodi cessione nullum in futuris Decanatus vacationibus censi irrogatum fuisse praesudicium Cardinalibus similia Jura foventibus.

Factaque eadem die per me infra scriptum Secretarium de praemissis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua Congregationis sententiam quoad utramque partem benigne approbavit, et perpetuis futuris temporibus servari mandavit.

Prosper de Lambertinis Secret.

(20. Sanctiss. D. N. D. Benedicti Pp. XIII. Constitutio, qua Decanatum Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii ad Episcopum Cardinalem antiquiorem, licet a Romana Curia absentem, dummodo tempore vacationis ejusdem Decanatus apud priorem sibi commissam Ecclesiam personaliter resideat, de venire decernitur, praerogativa alia quoad

Ostiensis, et Veliternensis Ecclesiarum optionem statuuntur, cum clausula, et derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Romani pontificis circumspecta vigilantia ea, quae certis etiam, et rationalibus ex causis a Praedecessoribus suis olim provide sancita fuerunt, ubi dissidiis, et contentionibus, praesertim inter eos, qui sublimi Cardinalatus Dignitate in Sancta Dei Ecclesia praefulgent, aliisque insuper gravioribus malis occasionem tribuere dignoscuntur, ipsa rerum experientia suadente, nonnumquam moderatur, ac immutat, et ad aequitatis, ac justitiae normam redigit, ut sublatis e medio litium, malorumque seminibus, fraterna charitas, atque concordia, quam inter eosdem Cardinales maxime vigere decet, inviolata servetur, et publico simul bono consultum sit: eumque in finem Apostolicae auctoritatis, et providentiae partes libenter interponit, prout matura deliberatione praehabita in Domino conspicit salubriter expedire.

§ I. Dudum siquidem a fel. rec. Paulo Papa IV. Praedecessore nostro emanavit Constitutio tenoris sequentis, videlicet: « Paulus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cum Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales in partem sollicitudinis vocentur, ut pro tempore existenti Romano Pontifici assistant, ipseque Romanus Pontifex eorum consilio agenda disponat, et iidem Cardinales sint pars corporis, et membra ipsius Romani Pontificis, ac diversis almæ Urbis nostrae Parochialibus Ecclesiis, pro eorum Cardinalatus titulo, seu denominatione praeficiantur, et in eis Episcopalem jurisdictionem habeant, et propterea in Romana Curia residere debeant, praesentesque in dicta Curia magis digni, et privilegiati existant, quam absentes, et in optionibus Titulorum, ac sex Ecclesiarum Cathedralium, quibus Cardinales pro eorum Cardinalatus titulo praefici solent, absentibus etiam ante eos in Cardinales assumptis praferantur, et si uni ex dictis Ecclesiis Cathedralibus praefecti fuerint, ex post semper alios non Episcopos Cardinales in quibusvis actibus, et sessionibus praecedant: Nos ex praemissis, et diversis aliis causis animum nostrum moventibus, et inter caetera, ut eosdem Cardinales absentes ad residendum in Curia aliquibus uberius favoribus, et praerogativis alliceremus, Decanatu Collegii Cardinalium hujusmodi, quem Nos, dum in minoribus constituti essemus, obtinebamus, et ad quem propter nostram continuam in eadem Curia residentiam ante alios Cardinales Nobis in Cardinalatu antiquiores tunc ab ipsa curia absentes perveneramus, per nostram ad Summi Apostolatus fastigium assumptionem vacante, habita super his cum Fratribus nostris in Consistorio nostro secreto deliberatione matura, de eorum consilio, et unanimi assensu, venerantem Fratrem nostrum Joannem Episcopum Ostiensis, S. R. E. Cardinalem de Bellajo nuncupatum,

de Nobis, et Sede Apostolica optime meritum, Decanum Collegii hujusmodi declaravimus, eumque ipsius Collegii Decanum vocavimus, et Decanatum ipsum ipsi concessimus, prout etiam per praesentes declaramus, vocamus, et concedimus. Et insuper, ne in posterum Decanatus, praedictus, illius occurrente vacatione in aliquem Cardinalem ex voluntate sua, et non ex causa publica absentem, et propter absentiam suam hujusmodi quandoque de negotiis dictae Sedis minus informatum, in injuriam aliorum Cardinalium tunc presentium, et Romano Pontifici assistentium, ac propterea de negotiis praedictis melius informatorum, deveniat, aut super eodem Decanatu aliqua controversiae, seu dissensiones inter ipsos Cardinales oriantur, providere volentes, Motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolica potestate plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, quod Decanatus hujusmodi de caetero perpetuis futuris temporibus non nisi ad Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia presentem, aut ex causa publica absentem et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatum devenire possit. Et quod Episcopus Cardinalis antiquior in Curia praesens, aut, ut praefertur, absens, et extra Curiam destinatus, postquam Decanatus hujusmodi ad eum devenerit, omnes alios Cardinales, etiam antiquiores, semper in quibusvis sessionibus, et aliis actibus publicis praecedat, nec per alios Episcopos Cardinales etiam antiquiores, tunc, absentes, etiamsi postmodum incontinenti ad eandem Curiam se conferant, et in ea continuo resideant, super ipso Decanatu, aut illius sessionibus, vel aliis actibus, seu negotiis ad eum pertinentibus impediri, aut molestari valeat Decernentes sic, et non aliter in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices, et Commissarios quavis etiam Apostolica auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eorumdem Cardinalium Collegium in quavis causa, et instantia, et sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi auctoritate, et facultate, iudicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, ac Ordinationibus Apostolicis, ac stylo Consistorii nostri, nec non ipsius Collegii, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Romae apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicae 1355. Undecimo Kal. Septembris Pontific. nostri anno primo. »

§ II. Postmodum, anno scilicet 1719, occasione obitus bon. mem. Nicolai S. R. E. Cardinalis Acciajoli Episcopi, dum viveret, Ostiensis et Veliternensis, Sacrique Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Collegii Decani, dubitatio emerit, an praedicta Constitutione adversus

Cardinales a Curia Romana absentes lata comprehenderentur, vel potius excluderentur Cardinales promotione antiquiores, qui eveniente Decanatus ejusdem Sacri Collegii vacatione a praefata Curia quidem absentes, sed apud illas Metropolitanas, seu Cathedralis Ecclesias residerent, quibus eos una cum aliqua ex iis Cathedralibus Ecclesiis Suburbicariis, quae ipsis Cardinalibus antiquioribus pro suis Titulis, seu denominationibus assignari solent, praesesse contingeret. Cumque ejusmodi dubitatio nullis antea Sanctae Sedis definitionibus discussa, ac dirempta esse videretur, bon. mem. Clem. Pp. XI. Praedecessor itidem noster eam expendendam, librandamque committere decreverat, sive dilectis Filiis Rotae Romanae Auditoribus, sive aliis ejusdem Curiae Praesulibus, integritate, doctrinaque praestantibus, quorum audita sententia id, quod rationi, et aequitati consentaneum illi visum fuisset, statuere posset. Verum dum in ea deliberatione versaretur, Nos, quos potissimum, tamquam eo tempore S. R. E. Cardinalem Episcopum Portuensem, et Archiepiscopum Beneventanum, caeterisque Collegii promotione priores (memorata Pauli IV. Constit. seposita) tam ad Decanatus dignitatem, quam ad praefatas Ostiensem, et Veliternensem Ecclesias, antiquitatis, Jura vocabant antea reputantes rem hanc absque alia contentione transigi minime posse, probeque memores verborum Apostoli Timotheum suum admonentis: *Servum Domini non oportet litigare*, firmiter constituimus super istiusmodi negotio a quavis concertatione, seu liti specie prorsus abstinere; adeoque datis primum ad eundem Praedecessorem Nostrum litteris ex suburbano secessu S. Pastoris, et mox etiam apertis verbis illi coram explicavimus, ac obtestati fuimus, ut quacumque Nostri ratione posthabita, dignitatem Decanatus Cardinali Episcopo ex residentibus in Romana Curia antiquiori deferre vellet, eidemque Ecclesiarum Ostiensis, et Veliternensis optionem permittere: ea tamen adjecta declaratione, ut simili in posterum occurrente Decanatus vacatione, salva, et illaesa remanerent Jura Cardinalium Episcoporum, qui Cardinalatu quidem essent antiquiores, sed extra Romanam Curiam in prioribus suis Episcopatibus tunc residerent. Attenta itaque hujusmodi nostra obtestatione, atque cessione, vacans Sacri Collegii Decanatus una cum Ostiensi, et Veliternensi Ecclesiis a memorato Pontifice in Consistorio secreto habito die 26 Aprilis 1719. bon. mem. Fulvio S. R. E. Cardinali Astallio tunc Episcopo Sabinensi, qui ex Episcopis Cardinalibus in Curia degentibus antiquior erat, cum speciali tamen Jurium quorumcumque tam Episcoporum Cardinalium extra Curiam apud priores suas Ecclesias residentium, quam aliorum Cardinalium in eadem Curia commorantium, praeservatione delatus fuit.

§ III. Deinde vero cum praefatus Cardinalis Astallius Decanus, inscrutabili Divinae providentiae dispositione, ab humanis omnium